



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Adulterium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42653**



## ACTIO HUMANA.

16. **Q**Uæritur. An sit probabile, quod  
omnis actio humana, quæ non est  
dilectio Dei, sit mala, & quod non possit  
elici opus bonum sine charitate, & gratia  
iustificante?

Resp. Negativè, ratio est quia, *Triden-  
tinum sess. 6 can. 7.* definit, quod fides, spes, &  
timor, quæ præcedunt justificationem non  
sunt peccata, sed actus boni sunt, elicit ex  
divina gratia, disponentes ad remissionem  
peccatorum, & gratiam justificationis, at nõ  
sunt charitas Patris, quia fides, & timor for-  
maliter non sunt dilectio actualis, nec a cha-  
ritate procedunt, quia ipsis peccator ad cha-  
ritatem Patris disponitur, nec sunt concu-  
piscencia carnis, aliàs ad justificationem non  
disponerent; ergo falsum est omnem hu-  
manam operationem, quæ non est dilectio  
Dei, esse malam, & consequenter falsum,  
quod non possit elici opus bonum sine chari-  
tate, & gratia iustificante, quis enim ne-  
get, peccatorem fidelem, & infidelem be-  
ne operari, si orationibus. & jejuniis in-  
stet coram Deo, orans, ut in viam salutis  
dirigatur, si credat, speret, & ex metu  
gehennæ de peccatis doleat? qui omnes a-  
ctus, nec Charitas Patris sunt, nec concu-  
piscencia carnis, ut constat *ex proposi-  
tione 7. inter proscriptas ab Alex. VIII.*

## ADULTERIUM.

17. **Q**Uæritur. An Uxor committat  
adulterium consentiente Marito,  
in illud delictum?

Resp.



Resp. Affirmativè juxta decretum *Inno*  
*XI. damnantis propositionem* 50. sicut et-  
 iam talem excessum committit Maritus  
 consentiente Uxore<sup>1</sup>, quia *ex Apostolo ad*  
*Romanos* 7. & *ex Angelico* 22. *quæst.* 154.  
*art.* 8. ad contrahendam malitiam adulte-  
 rii, nihil aliud requiritur, quam accessus  
 ad alienum thorum, cum Maritus non pos-  
 sit cedere juri, quod habet, ne uxor alteri  
 carnaliter commisceatur, vel è conver-  
 so; nec obstat *regula* 27. *juris in* 6. *scienti*,  
 & *consentienti non fit iniuria, nec dolus*, quia  
 id intelligendum est in iis quorum homo  
 est dominus secundum libitum suæ vo-  
 luntatis, ut sunt bona fortunæ, & non in  
 his, quæ, etsi nostra sint, non tamen pos-  
 sumus de illis ordinare, ut nobis placet, ut  
 patet in naturalibus, nam licet manus tua  
 sit tua, non propterea potest de consensu  
 tuo sine tua injuriâ à te tolli; est in Mari-  
 to jus utendi uxore sua juxta leges Matrimo-  
 nii, sed non est dominus tradendi alteri  
 usum corporis illius.

18. Quæritur. An Uxoratus habens co-  
 pulam carnalem cum conjugata unum, aut  
 duplex adulterium committat?

Resp. Duplex; utrumque in Confessione  
 explicandum, quia duobus iniuriam facit,  
 & propriæ uxori, & Marito conjugatæ,  
 cum qua peccavit.

19. Quæritur. An adulterium fidelium  
 specialem malitiam habeat?

Resp. Affirmativè, nam præter speciem  
 peccati contra castitatem, est etiam alia  
 species contra fidem matrimonii, seu con-  
 tra justitiam.

20. Quæritur. An in adulterio coniuga-  
 tæ, quod committitur, viro invito, sit alia,



species peccati, quæ non reperitur, cum sit de consensu viri?

Resp. Probabilius esse, non dari tertiam aliam speciem injustitiæ, ut aliqui docent.

21. Quæritur An liceat Marito uxorem in adulterio deprehensam, vel adulterum occidere?

Resp. Negativè, ratio est, quia non potest occidi malefactor, nisi juris ordine servato, nec exponit periculo damnationis eterne; sequeretur autem utrumque, si interficeretur adultera, vel adulter in delicto deprehensus, & quamvis leges civiles similes occisiones permittant, nec puniant propter excessum doloris, & iræ, hinc tamen nõ sequitur esse licitum quantum ad legem Canonicam, & conscientiam, idem dic de patre occidente filiam fornicantem &c. quod manifestè constat ex propositione 19. inter damnatas ab Alex. VII.

22. Quæritur. An si Maritus sit Judex possit interficere uxorem in adulterio deprehensam?

Resp. Non posse, quia ipse etiam debet servare juris ordinem, antequam damnet, nam sicut Judex supremus ante examen, & sententiam non potest committere Marito, quod uxorem adulteram interficiat, ita nec potest ipse suam uxorem occidere non servato juris ordine.

23. Quæritur. An Maritus occidens uxorem, aut adulterum ad restitutionem damnorum teneatur?

Resp. Affirmativè, ratio est quia hæc obligatio non consequitur ex lege humana, sed ex præcepto justitiæ, atque adeo ex lege naturali; hinc quia verè graviter in eo homi-



homicidio peccavit, quamvis excusetur ab excommunicatione, si adulter occisus sit Clericus, aut ab alia pena legislatoris humani, non excusatur tamen ab onere restituendi; quod si passione turbatus citra plenam libertatem, atque adeo citra mortale commisit homicidium, tunc immunis erit ab hoc onere, quod cum sit grave, non nisi ad culpam gravem consequitur.

24. Quæritur. An pro injuria, & dedecore in Maritum redundante ex adulterio conjugis, debeat ab adulteris aliquid restitui?

Resp. Si adulterium sit notorium debent veniam ab ipso petere, & honorem coram aliis exhibere in compensationem contemptus; si verò sit occultum tenentur majora obsequii signa ostendere in satisfactionem injuriæ, ita ut non possit in cognitionem criminis deveniri.

25. Quæritur. An uxor, & adulter possint licite, se defendere, & cum moderamine inculpatae tutelæ etiam occidere Maritum, à quo iniuste invaduntur?

Resp. Posse, ratio est, quia ex quo adulteri dent operam rei illicitæ, ob quam invaduntur, non confertur Marito jus eos occidendi, nec ipsi privantur jure se defendendi contra iniustum aggressorem, eumque cum dicto moderamine occidendi, nam in ordine ad eam occisionem considerantur innocentes; ex adulterio solus Princeps acquirit jus, ut illud punire valeat.

### A T T R I T I O.

26. Quæritur. An sit damnata illa opinio, quæ docet: Posse in Confessione

si quis